

ultimū, quānā alia figura cohæreret, atq; non decideret, nullo ultra margine includere? Ipsū id ad miraculū redit, quōnā modo etiamsi globetur, extremū non decidat mare. Contra quod, ut sint plana maria, & qua videntur figura, non posse id accidere, magno suo gaudio magnaq; gloria inuētores Græci subtilitate geometrica docent. Nāq; cum ē sublimi in inferiora aqua ferantur, et sit hæc natura earum concessa, nec quisquā dubitet in littore ullo accessisse eas, quo longissime deuexitas passa sit, procul dubio apparere, quo quid humilius sit, propius centro esse terræ: omnesq; lineas quæ emittantur ex eo ad proximas aquas breuiorē fieri, quæ ad extremum mare à primis aquis. Ergo totas, omniq; ex parte aquas vergere in centrum: ideoq; non decidere, quoniam in interiora nitantur. Quod ita formasse artifex natura credi debet: ut cum terra arida et sicca constare per se ac sine humore nō posset, nec rursus stare aqua nisi sustinente terra, mutuo implexu iungeretur: hac sinus pādente, illa vero permeate totā, intra, extra, supra, venis ut vīculis discurrentibus, atq; etiā in sumis iugis erūpente: quo spiritū acta, et terræ pōdere expressa, siphonū modo emicat, tātūq; à periculo decidēdi abest, ut in summa quæq; et altissima exiliat. Qua ratione manifestū est, quare tot fluminū quotidiano accessu maria non crescant.

Quomodo aqua sit terræ innexa. CAP. LXVI.

St igitur in toto suo globo tellus medio ambitu p̄cincta circūfluo mari. Nec argumētis hoc inuestigandum, sed iam experimentis cognitum.

De navigatione maris & fluminū. CAP. LXVII.

Gadibus colūnisq; Herculis, Hispania et Galliciarū circuitu, totus hodie navigatur occidēs. Septentrionalis uero oceanus, maiore ex parte navigatus est, auspicijs diui Augusti Germania classe circūuecta ad Cimbrorū promontoriū, & inde inenso mari prospecto, aut fama cognito ad Scythicā plagā, & humore nimio rigentia. Propter quod minime verisimile est illic maria descere, ubi vis humoris superet. Iuxta vero ab ortu ex Indico mari, sub eodem sidere pars tota uergens in Caspium mare, pernavigata est Macedonum armis, Seleuco atq; Antiocho regnantibus, qui et Seleucida atq; Antiochida ab ipsis appellari voluerunt. Circa Caspium quoq; multa oceani littora explorata, paruq; breuius q̄ totus hinc aut illinc septentrio eremigatus. Ut tamen coniectura locum sic quoq; non relinquat, ingens argumentum paludis Mæoticæ, siue ea illius oceani sinus est, ut multos aduerto credidisse, siue angusto discreti situ restagnatio. Alio latere Gadium, ab eodem occidente, magna pars meridiani sinus ambitu Mauritanie navigatur hodie. Maiorem quidem eius partem, & orientis, viæ forie magni Alexandri lustrauere, usq; in Arabicū sinum. In quo res gerente C. Cæsare Augusti filio, signa nauium ex Hispaniensibus naufragijs feruntur agnita. Et Hanno Carthaginis potentia florente, circūuectus à Gadibus ad sinem Arabia navigationem

eam prodidit scripto: sicut ad extera Europæ noscenda missus eodem tempore Himilco. Præterea Nepos Cornelius autor est, Eudoxum quendam sua ætate, cū Lathyrum regē fugeret, Arabico sinu egressum, Gades usq; peruectum: multoq; ante eum Cælius Antipater, uidisse se qui nauigasset ex Hispania in Aethiopiā cōmerciū gratia. Idem Nepos de septentrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranij in consulari collegæ, sed tum Gallie proconsuli, Indos à rege Suenorum dono datos, qui ex India commercij causa nauigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti. Sic maria circumfusa undiq; diuiduo globo, partem orbis auferunt nobis: nec inde huc, nec hinc illo peruiō tractu. Quæ contemplatio apta detegēdæ mortalium vanitati poscere videtur, ut totum hoc quicquid est, in quo singulis nihil satis est, ceu subiectum oculis, quantum sit, ostendam.

Quæ portio terræ habitetur. CAP. LXVIII.

Am primū in dimidio computari videtur, tanq̄ nulla portio ipsi decidatur oceano: qui toto circūdatus medio, & oēs cæteras fundens recipiensq; aquas, & quicquid exit in nubes, ac sidera ipsa tot et tante magnitudinis pascens, quo tandem amplitudinis spatio credetur habitare? Improbæ & infinita debet esse tam vastæ molis possessio. Adde q̄ ex relicto plus abstulit cælum. Nam cum sint eius quinque partes, quas vocant zonas, infesto rigore & æterno gelu premitur omne, quicquid est subiectum duabus extremis utrinq; circa uertices, hunc qui trionū septē vocatur, eumque qui aduersus illi austrinus appellatur. Perpetua caligo utrobique, & alieno molliorū siderū aspectu maligna ac pruina tantum albicans lux. Media vero terrarum, qua solis orbita est, exusta flāmis & cremata, cominus vapore torretur. Circa due tantum inter exustam et rigētes, temperantur: eaq; ipsæ inter se non peruiæ, propter incendium sideris. Ita terre tres partes abstulit cælum: Oceani rapina in incerto est. Sed & relicta nobis vna portio haud scio an etiam in maiore damno sit. Idē siquidem oceanus infusus in multos (ut dicemus) sinus, adeo vicino accessu interna maria allatrat, ut centū xv. milibus passuum Arabicus sinus distet ab Aegypto mari: Caspius vero ccclxxv. milibus à Pontico. Idem interfusus intrat per tot maria, quibus Africam, Europam, Asiamq; dispescit. Quantum terrarum occupet, computetur etiam nunc mensura tot fluminum, tatarum paludum. Addantur & lacus & stagna: iam elata in cælū, et ardua aspectu quoq; iuga: iam syluæ valesq; præruptæ, et solitudines, & mille causis deserta detrahantur. Hæc tot portiones terræ, imo uero, ut plures tradidere: mundi punctus (neque enim est aliud terra in uniuerso) hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes: hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic instauramus bella etiam ciuilia, mutuisque cadibus laxiorem facimus terram. Et ut publicos gentium furores

b 2 transeam

* confessa.

* complexu
fungeretur

* quæ

* inde mihi
disputari vi
detur, quæ
nam illius
portio ipsi
decadat o-
ceano

* septentrio